



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 12. Metropolitaram Responsa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.

A. C. 458.

*Lib. Pontif.**Nov. Major.  
tit. 8.*

S. Leonem præcepisse legimus, ne Virgines Benedictionem solemnem cum velo acciperent, antequam per annos quadraginta virtutis argumenta dedissent; hinc pronum est credere, suadente S. Leone factum, ut Imperator Majorianus Legem conderet, Parentibus prohibentem, ne filias suas Deo se consecrare cogere. Vetabatur, ne puellæ contra earum voluntatem a parentibus oblatae, ante annum quadragesimum velamen acciperent, & libertas fiebat, ut usque ad illam ætatem nuptias inire liceret. Eadem Legge severe reprehenduntur viduæ, quæ si nullam prolem haberent, non amore continentia, sed Licentiæ pudendæ cupiditate a secundis Nuptiis abhorrebant. Lex ista Ravennæ 26. Octobr. anno 458. data est.

## §. XII.

*Metropolitaram Responsa.*

*Marc. Chr.  
an. 458. to. 4.  
Conc. p. 902.  
ad 975.*

**M**etropolitæ Orientis, quos Leo Imperator de Auctoritate Concilii Calcedonensis, & Timothei Eluri ordinatione consu-

possit, quin sit rite baptizatus, si id affirmet mulier, alias prudens, edocta, & ad id ipsum sua conditione delecta, præsertim si alii, fide digni, vidisse se natam prolem baptizantem testentur. Certe in Rituali tantum tunc sub conditione infans baptizari præcipitur, si de Baptismi valore dubitandi causa sit.

consuluerat, responsa consentanea omnes  
 dederunt. Ejusmodi Responsa triginta  
 sex nobis supersunt, si etiam illa duo, a  
 me jam relata, censeantur, nimirum epi-  
 stola S. Leonis Papæ, prima Nov. an. 457.  
 data, in qua nomine totius Occidentis  
 loquebatur, & epistola Anatolii Constan-  
 tinopolitani. Epistolæ istæ Synodales  
 sunt, & pleræque plurium Episcoporum  
 nomina exhibent. Julianus Episcopus  
 Coanus etiam suo tantum nomine re-  
 spondit, atque ex indice Episcoporum,  
 quorum sententia fuerat exquisita, ap-  
 paret, fuisse numero supra sexaginta.  
 Omnes Concilium Calcedonense appro-  
 bant, pro Oecumenico habent, atque  
 æqualis Auctoritatis ac Concilia Nice-  
 num, Constantinopolitanum, & Ephesi-  
 num esse judicant. Omnes Ordinationem  
 Timothei rejiciunt, Tyrannum, &  
 usurpatorem vocant. Edicunt, se Pro-  
 terium tanquam Martyrem venerari, &  
 cum illis, qui ipsius Communionem re-  
 ciperent, communicare. Solus Amphi-  
 lochus Episcopus Sidanus, quamvis Ti-  
 mothei Ordinationem damnaret, edixit,  
 se Concilium Calcedonense non recipere.  
 Hinc ipsius epistola non fuit conser-  
 vata.

Sæculum V.  
 A. C. 458

*Conc. Calc. p.*  
*3. c. 25. ad c.*  
*60. Baluz.*  
*Encycl. ep.*  
*125. al. 75.*  
*c. 46.*

*to. 4. Conc.*  
*p. 890. 891.*

*Evagr. II.*  
*hist. c. 10.*

Epistolam vero S. Monachi Baradati  
 habemus, 27. Aug. anno Leonis Impera-  
 toris secundo, Indictione decima, id est,  
 anno

Sæculum V. anno 458. datam. In ea docte Mythe-  
 A. C. 458. rium Incarnationis explicat, & de Evcha-  
 ristia clare loquitur. Ex his epistolis om-  
 nibus Collectio concinnata, quam voce  
 græca *Encyclia* dixerunt, ac si quis dice-  
 ret: Epistolæ Circulares. Hanc Colle-  
 ctionem post annos quinquaginta Epi-  
 phanius Scholaasticus transtulit. Ita-  
 que duæ Quæstiones, quarum causa Hæ-  
 retici novum Concilium postulabant, si-  
 ne alio Concilio Oecumenico tanquam  
 decisæ habitæ sunt, epistolarum a Con-  
 ciliis Provincialibus missarum idem effe-  
 ctus fuit ac Concilii universalis, atque  
 dato hoc exemplo omnibus fuit perspe-  
 ctum, Decisionis Ecclesiæ vim non in  
 Episcoporum Congregatione, sed in ipso-  
 rum unanimi consensu, quomocunque  
 manifestato, positam esse.

## §. XIII.

*Successio Episcoporum.*

**B**asilii Antiochenus e vivis translatus  
 est anno 458. postquam annos duos  
 sedisset. Successorem habuit Acacium;  
 ipso sedente, ingens terræ motus totam  
 pene urbem Antiochiam, 14. Sept. anno  
 Leonis Imperatoris secundo, subvertit.  
 Isaac ejusdem Ecclesiæ Presbyter concin-  
 nato Poemate amplissimæ urbis calami-  
 tatem deflevit. Plura opera Syriace,  
 præcipue adversus Nestorianos, & Eu-  
 tychia-

tom. 4. Conc.

p. 977.

Brev. Lib.

c. 15.

Baluz. præf.  
in Cod. En-  
cycl.